

Sigismund Christian Klose

Schediasma Historico Philosophicvm De Apollonio Tyanensi Philosopho Pythagorico Thavmatvrgo ...

Sectio Qvarta

[Vitembergae]: [Verlag nicht ermittelbar], [1724?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1769573879>

Band (Druck) Freier  Zugang



Klose,
Schediasma - de Apol-
lonio Tyanensi.
1723.

b

308.



Eb
308



SCHEDIASMATIS
DE
APOLLONIO TYANENSI
SECTIO QVARTA.

§. I.



Facimus hæcenus de præcipuis scripto-
ribus, veteribus pariter ac recentio-
ribus, qui in tradenda Apollonii Ty-
anensis historia fuere occupati, iam
ex promissi ratione, ut & ipsimet bre-
vem aliquam huius viri vitæ descri-
ptionem B. L. sistamus, restat, ut eo
clarius pateat, qualis & quantus fuerit, et qua ratione fa-
ctum, quod tantam apud multos, & vivus, & post fata, sibi
conciliaverit famam auctoritatemque.

§. II.

Equidem non defuere, qui omnino, num unquam Apol-
lonius aliquis Tyanensis, qualis a Philostrato aliisque
describitur, extiterit, dubitant, sed & historiam & nomen
viri a gentilibus confictum esse credunt, in odium Christiano-
rum,

In tradenda Apollonii historia. Ioh. Savaron equidem in Not.
ad Epist. Sidonii Apoll. p. 491. Plutarchum quoque inter
eos refert, qui Apollonii vitam descripserint, sed fallitur;
nullus enim huius scripti in catalogo operum Plutarchi ho-
die est locus, neque etiam quisquam veterum eius facit
mentionem.

rum: suamque vel exinde etiam corroborari posse sententiam putant, quod nulla huius viri, de quo tot mirapredicantur, apud scriptores suæ ætatis, fiat mentio; at vero, cum minima pars scriptorum illius ævi ad nostram pervenerit ætatem, ex silentio eorum quæ adhuc supersunt, in genere ad omnes n. v. c. deinde vero, iam supra observavimus, maximam virum nactum fuisse famam post fata, cum scilicet gentiles, ut eo melius ad Christianorum argumenta aliquid inveniant, quod respondeant, inter alia huius etiam Apollonii quoque vitam & facta Christo opponere coeperint: accedit, quod iam Justinus Martyr, Seculi secundi inter Christianos doctor, adeoque Apollonio fere cœvus, Apollonii huius meminerit, tanquam viri alicuius singularis & naturalium virium periti, Quæst. 24. nec etiam Eusebius, vir in omni historia versatissimus, de existentia ipsius dubitat, in suo contra Hieroclem libro, cum tamen hoc uno quasi ictu omnes ineptias Hierolis discutere optime potuisset: ut adeo horum testimonio, communis scriptorum sequiorum temporum, tam gentilium quam Christianorum, de Apollonio consensus, tutum nanciscatur fundamentum.

§. III.

Sed alia circa viri historiam sese exerit difficultas, quæ maioris momenti est: Scilicet, quicquid fere de Apollonio Tyaneo nobis notum est, præsertim quod eius singularia facta & sapientiam concernit, illud omne unius Philostrati nititur autoritate: reliquos namque scriptores, qui hoc tractarunt argumentum, interiisse temporum injuria, suo loco jam observavimus: quam male vero apud omnes audiat Philostratus, ob tot mendacia & fabulas, quibus suos libros, de vita Apollonii, conspersit, pariter notum. vid. Sect. II. §. 9. Hunc ergo, cum nos in contexenda Apollonii Tyaneus

nensis historia unicum sequimur ducem, in tanta fabularum scoria, illud Terentii imitandum nobis sumimus, Eyn. Act. I. S. II.

Quæ vera audivi, taceo & continuo optime,
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est.

Scilicet, ubi ea refert, quæ Apollonium nobis sistunt Virum sapientem, multaque scientia instructum, vitamque sceleribus puram degentem, ea lubenter concedimus, & retinemus: quando vero talia narrat, quæ non hominem & Philosophum, sed virum prorsus divinum, taliaque patrantem, quæ omnem sapientiam potentiamque humanam superant, nobis exhibent, aut ubi contra communem omnium scriptorem consensum, temporumque rationes impingit, ea omnia rejicimus, suoque relinquimus auctori: media sic incedentes via, talem nos consecuturos vitæ Apollonii descriptionem speramus, quæ, si non per omnia, in plurimis tamen, vera & genuina existit.

§. IV.

Apollonium igitur quod attinet, patriam ipsi fuisse Tyanam, Cappadociæ in Asia Minori, Urbem, supra iam annotavimus, ipsumque cognomen Tyanensis docet. Genere antiquo, nobili, prædivitique ortum fuisse, facile concedimus Philostrato. Tempus, annumque nativitatis Apollonii, non indicat Philostratus, ex eorum tamen, quæ

A 2

subse-

Tyana. vid supra S. II. §. 2.

Genere antiquo. in colloquiis, quæ Apollonius cum Sapientibus India & Æthiopiæ instituit, refert de se ipso, quod anima ipseus, antequam hoc intravit corpus, in corpore gubernatoris navis ægyptiæ extiterit. vid. Phil. L. III. C. VI. & L. VI. c. 21. sed hæc ex Pythagorico, de transmigratione animarum e corpore in corpus, Commento, orta esse, quilibet videt.

subsequuntur, collatione, patet, natum ipsum fuisse, anno circiter v. c. 750. qui est 42. imperii Augusti, & 3. ante natum Salvatorem nostrum Jesum Christum. Quæ vero circa nativitatem Apollonii memorabilia refert Philostratus, L. I. c. 4. & 5. cum fabulas nimis aperte spirent, merito mittimus.

§. V.

Ex collatione eorum. Motus namque, quos Archelaus in Cappadocia contra Romanos excitavit, circa idem tempus acciderunt, quo Apollonius apud Ægas, in Æsculapii templo, versaretur, paulo ante obitum parentis sui; Phil. L. I. C. XII. Jam vero, Archelaus Cappadociæ Rex constitutus est a M. Antonio a. v. c. 718. uti testatur Dio Cassius, a Romanis vero defecit, cum jam 50. annos regnasset (Tac. An. L. II. c. 42.) qui erit v. c. 768. Moriente vero parente, Apollonius annum agebat vigesimum. Phil. L. c. C. XIII. natus ergo est circa ann. v. c. 749. vel 750. Accedit, quod ab anno, quem natalem dicimus Apollonio, ad imperium usque Nervæ, quod a v. c. 849. & 850. gessit, centum evadant anni, quos vivendo attingisse dicitur noster. Conf. Tab. Chronol. quam Philostrato præmisit, Olearius.

Memorabilia. v. g. quod matri prægnanti apparuerit Protheus Ægyptius, ipsique annunciaverit, quod paritura sit filium, sibi sapientia similem. Equidem Daniel Huetius Dem. Ev. Pr. IX. C. 147. talia ad imitationem angeli, B. Virgini Mariæ, se filium Dei parituram, annuncianti, Luc. 1. a Philostrato conficta existinat. forte tamen ex phantasiæ exorbitantia, mulier superstitiosa, ac de futuro partu sollicita, sibi tale aliquod vidisse spectrum visa est: cujusmodi plura habemus exempla. Sed pone, Philostratum hæc ex ingenio tantum finxisse, ad imitationem tamen historiæ Christi id fecisse, non potest probari: sed videtur mihi potius in scribenda Apollonii Historii clarissimorum Philosophorum vitas ab oculis habuisse, idque egisse, ut quæ de his memorabilia relata invenit, in sum etiam, quem laudandum sibi sumit, Philosophum conferat,

§. V.

Literis a prima statim ætate imbutus, ann. ætatis 14.
a patre Tarsum deductus, & Evthydemo Phoenici, Rhe-
tori

A 3

ferat, ut eo majorem ipsi conciliaret famam. Imprimis vero, Pythagoram inter & Apollonium, magnam deprehendemus similitudinem, si ea conferemus, quæ ab utroque consignarunt eorum Biographi. Ita, quod eorum nativitatem concernit: Protheus sapientiam Apollonii prædixisse dicitur: idem etiam Oraculum Delphicum parentibus Pythagoræ fecisse legimus ap. Stanl. Hist. Phil. P. VIII. c. 1. Pythagoras Apollonis, Apollonius Iovis creditus est filius; Stanl. l. c. Phil. L. I. C. VI. uterque futura prædixit, feras domuit, pluraque patrauit stupenda, & quæ alia sunt exempla, instituendæ inter ipsos comparationis.

Tarsum. Tarsus non solum præpotens olim, ad Cydnum fluvium, Asiæ Minoris fuit Emporium, sed & Ciliciæ metropolis. Teste Suida illam Sardanapalus, Assyriorum Rex, uno die condidit. Incolæ ipsius ob Philosophiæ studium laudantur Straboni L. 14. ubi refert, quod Athenis & Alexandria propterea fuerit comparanda hæc urbs, suoque tempore Romæ omnia fuerint plena virorum doctorum, Tarso ortorum.

Evthydemo Phoenici. Quem Philostratus vocat Phoenicem, Evthydemum, Suidas Tarsensem Cilicem appellat: quamvis conciliatio facilis est. Phoenices namque & Cilices sunt vicini; Phoenicem autem præceptorem primum propterea forte Apollonius habuit, quia Pherecydes, Pythagoræ primus præceptor, eadem gavifus est patria. Ceterum varii apud Eruditos nominantur Evthydemi. Plutarchus, de Cohib. Ira, mentionem facit Evthydemi amici ac convivæ Socratis. Idem etiam inter suos familiares & convivales Evthydemum Suniensem aliquem habuit. Synops. L. III. Q. X. Teste Jonsio de script. Hist. Phil. L. III. C. VI. Evthydemus quoque inter Peripateticos clarus fuit. Tandem etiam
Stra-

tori insigni in disciplinam traditus est. Cum vero urbem hanc, ob luxuriam civium, tractandis studiis minus oportunam judicaret, Ægas in Æsculapii templum secessit, ibique Philosophos, omnium fere sectarum, audivit, Pythagoreae tamen amore maxime captus, inde ab anno ætatis 16. totum se illi dedit, præceptorem nactus Euxenum Heracleensem Ponticum.

§. VI.

Strabo L. XIV. p. m. 453. refert, sua ætate apud Mylasenses in Caria, inter viros memorabiles, Evthydemum, Rhetorem insignem, atque civem prædivitem & honoratum floruisse, qui forte idem est cum illo cujus meminit h. l. Philostratus.

Anno ætatis 16. totum. Phil. L. I. C. VII. Ab illo namque tempore, omnia Philosophiæ Pythagoricæ instituta quam rigorosissime observabat, a vino carniisque esu abstinendo, eo quod mentem hebetarent: Quamvis abstinentiæ a carni esu sanguinisque effusione, apud Pythagoreos, alia etiam potest dari causa, dogma nempe de animarum transmigracione. Prætera barbam comasque promittebat Apollonius, more omnibus fere Philosophis consveto: Sicut enim capillos alere, apud plerasque gentes signum erat libertatis, tondere vero & abrudere illos, servitutis; ita hoc ipsum etiam Philosophis erat signum ingenuitatis & libertatis in quam per Philosophiam fuere translati. vid. Scheff. de Philos. Ital. p. 154. hinc etiam Domitianus Cæsar, Apollonio captivo barbam tondere comamque abscindere jusfit, ut eo graviore virum afficeret injuria; uxorem quoque duxit nullam Apollonius, quamvis id Pythagoreis prohibitum non erat. Sed noster ab iis etiam, quæ parcius tantum utenda præcepit Magister, omnino abstinuit: sicut & vini usum certo modo suis permittebat Pythagoras, vid. Scheff. l. c. p. 168.

Euxeno. Præter ea, quæ Philostratus de hoc Euxeno habet, apud alios scriptores nil invenitur. Suidas enim, ubi de Euxeno agit in Lex. Philostratum verbotenus exscripsit. Laudat vero Euxe-

§. VI.

Mortuo Parente, per integrum quinquennium silentium Pythagoricum quam exactissime servasse Apollonium porro refert Philostratus. Quo peracto longinquum suscepit iter

Euxenum Philostratus, quod Pythagoræ sententias probe noverit, sed improbat ejus vitam & mores, qui erant corruptissimi. vid. L. I. C. VII. ceterum hoc Euxenis exemplum probat, quod supra S. I. diximus: Philosophiam Pythagoræ, tunc temporis suos adhuc invenisse sectatores, qui tamen a placitis veterum multum secessere.

Silentium. de Silentio Pythagorico vid. Supr. S. I. §. VII.

Quo peracto longinquum &c. Inter peractum ab Apollonio silentium, & susceptum in Orientem iter, aliquod temporis intercessisse spatium, ex Philostrato patet, sed quantum illud fuerit, non indicat autor. B. equidem Olearius in Tab. Chron. Philostrato præmissa ad ann. v. c. circiter 796. refert Apollonii adventum Babylonæ, qui erit ætatis Apollonii 46. Claudio Cæsare jam per aliquot annos regnante. Sed liceat mihi heic a viro clarissimo dissentire, tum quod Apollonius ad iter se accingens, sese vocet virum juvenem: decere inquebat, *virum juvenem*, ut ad externos abeat, atque in terra peregrina, inclarescat: quod prædicatum in hominem jam propemodum quinquagenarium vix quadrat, L. I. c. 18. tum etiam quod Apollonius, ex India redux, Bardanem iterum addidisse dicitur L. III. c. 58. inter hunc vero secundum, primumque Babylonæ adventum, tres ad minimum consummati sunt anni, Bardanes vero teste Tacito An. L. XI. c. 10. interfectus est, aliquot annos ante ludos seculares Romæ a. v. c. 800. celebratos, ex quibus apparet, tempus, quo primum advenit Babyloniam Apollonius, paulo prius accidisse, quam ann. v. c. 796. præsertim nulla adsit causa, cur Apollonius, post absolutum silentium, tam diu, quindecim propemodum annos, fuerit commoratus Antiochiæ,

iter ad Philosophos Orientales, ut ipsorum quoque sapientia institueretur. Relicta ergo Antiochia Magos, Babyloniam Philosophos, primum addidisse dicitur, assumpto in via Damide Ninio itineris socio. Babyloniam vero per 20. menses commoratus, mutua accepta a magis dataque institutione discessit, postquam arctissimam, quam cum Bardane Babyloniam Rege contraxit amicitiam, denuo confirmaverat.

§. VII.

Magos Babylonie Philosophos. Magorum nomine Philosophi ac sacerdotes apud Persas Chaldaeosque veniebant, maximeque eorum apud suos erat autoritas & veneratio. De origine ipsorum, primoque fundatore Zoroastre, omnia sunt incerta: quamvis vero satis antiqua Magorum collegia concedamus; illud tamen, quod Alexandri M. ætate, jam 400000. annos observationibus Astronomicis incubuerint, apertum est mendacium. De Philosophia ipsorum conf. Stanl. Hist. Phil. Or. S. I. & II. Hyde pec tr. de Rel. Pers. Tempore Apollonii Magorum collegia apud Orientales adhuc floruisse, ex Historia nativitate Christi Matth. II. elucet. Strabo etiam asserit, suo tempore, peculiarem habitationem constitutam fuisse Babyloniam, Philosophis indigenis L. XV. p. 508.

Bardane Babylonie Rege. Quem Babyloniam Regem vocat Philostratus, alii scriptores Parthorum appellant Regem, ad Parthorum enim imperium tunc temporis Babyloniam cum finitimis regionibus spectabat. Laudat hunc Bardanem Philostratus, tanquam virum minime malum, et sapientiam studiosum; Tacitus quoque An. L. XI. c. 10. ipsum intra primam juventam, claritudine paucos senum Regum æquales habuisse asserit. Ceterum, qua ratione Philostratus tot, tamque magnifica, de Babylonia, sede Regia, scribere potuerit, L. I. c. 25. sq. cum tamen ex aliis ejus temporis scriptoribus constet, non Babyloniā (quippe quæ tunc magna ex parte devastata erat,) sed Seleuciam & Ctesiphontā (quam Babyloniam contradistinguit Philostratus c. 21.) Sedem regni fuisse, vid. Tac. An. VI. c. 42. Strabo l. c. alii judicant: interim tamen hoc etiam mirum alicui potest

§. VII.

A Magis Babylonix, ad collem, quem Brachmanes, India
B dia

potest videri, quod Eusebius, diligens alias errorum Philostrati censor, & harum rerum probe gnarus, hunc Philostrati de Babylonia lapsum, in suo Libro non annotaverit.

Ad collem, quem Brachmanes. Indiae incolae jam antiquissimis temporibus ob sapientiae studium fuere clari. Hinc etiam praestantissimos Philosophos, imprimis Pythagoram, sapientiae addiscendae causa illos adiisse, traditio est, quem forte in eo quoque imitatus est Apollonius. Sicut autem India in duas commodissime distinguitur partes, unam, quae in extremis Orientis partibus sita est, & China hodie vocatur, alteram vero, quae Austrum versus tendit, & Europae prior est: ita etiam utrinque Philosophos invenimus. Quod Chineses, qui & Seres vocantur, attinet, cum veteres Europaei illius regionis vel plane nullam, vel admodum exiguam habuerint notitiam, frequentioribus commerciis cum illis gentibus, sequioribus demum seculis stabilitis, de ipsarum quoque Philosophis omnia erant incognita; & quae hodienu de illis nobis narrant Missionarii, & Jesuitae, vix ubique satis tutam inveniunt fidem. Quod vero reliquam Indiam concernit, cum illa antiquis etiam temporibus a Graecis, aliisque Occidentalibus gentibus, crebrius fuerit visitata, multa etiam apud veteres scriptores, de Philosophis illarum regionum, qui Brachmanes ipsis dicuntur consignata invenimus; quae testimonia omnia in unum collegit volumen, & una cum Palladii de Gentibus Indorum, Ambrosii de Moribus Brachmannorum, & Anonymi de Brachmanibus Libris edidit Eduardus Bissæus Nob. Anglus, Lond. 1665. 4to. conf. Jonf. Lib. III. Cap. 32. §. 4. Brachmanni autem vocantur Indiae Philosophi, quam vocem nonnulli derivant a כרר genua flexit, eo quod summa eorum apud plebem fuerit autoritas; ab his distinguit Strabo L. XV. Germanes, quorum alii, Hylobii dicti, in sylvis degebant, & veste e corticibus arborum utebantur, alii
vero

diæ Philosophi, inhabitabant, profectus est Apollonius, cum
quibus

vero Medicinæ operam dabant: Brachmanes tamen Germanis fuisse honoratioris dicit: at vero, in quonam a se invicem fuerint distincti, non indicat; paria namque de utrisque refert: nec certi quid de ipsorum doctrinis ac institutis potest afferi, omnia enim, quæ apud scriptores hac de re relata legimus, confusa sunt, nec satis sibi constant. Quod si tamen ea, quæ de Brachmanibus Strabo & Philostratus prædicant, vera sunt, plurima Philosophiæ Pythagoricæ instituta & dogmata apud illos recepta fuere. A vino namque, iuxta hos, & carniū esu abstinebant, albo linteo vestiebantur, omnia habebant communia, & transmigrationem animarum statuebant, & quæ sunt alia; imprimis vero modus, quo suos discipulos tractabant Brachmanes, multum convenit cum eo, quem Pythagoras observavit; hinc etiam constans semper fama fiat, pleraque sua ab Indis accepisse Pythagoram. conf. Phil. L. III. Scheff L. c. Morum ceteroquin imprimis studebant integritati, vitam habentes quasi recens conceptorum hominum statum, mortem vero, partum in veram illam & felicem vitam. Rerum naturalium contemplationi præterea, Mathesi, ac arti Chemicæ dediti erant. Præter quatuor elementa, quintum, naturam asseriebant, ex quo coelum & astra consistunt; mundum ortum, ac interiturum, ejus primordia aquam, figuram sphaeram, credebant. Vid. Strabo l. c. de peritia Brachmanum in Mathesi, Mechanica imprimis, testantur tripodes aqua vinoque pleni, se ipsum moventes, & pincernæ ænei, aquam vinumque haurientes e tripodibus, & cyathos in convivio circumferentes, mensæ itidem cum pane & esculentis ordine procedentes, & quæ alia ejusmodi sunt, quæ cum admiratione apud ipsos vidisse Apollonium, narrat Philostratus L. III. C. 28. ad specimina scientiæ Chemicæ Brachmanum, refert Morhof. Pol. T. I. L. I. C. XIII. famam de aqua aurea, & gryphibus aurum fodientibus, conf. Philostr. L. III. C. 45. item duo dolia imbrium et ventorum, quæ asservabant, quorum alterum, ubi nimia siccitate terra fuerit

quibus per IV. menses versatus, omnisque ab illis sapientia

B 2

tia

fuerit pressa, apertum, nubes & pluviam procreet, clausum vero cohibeat, alterum vero ventos excitet. Hæc enim non temere pro præstigiis aut figmentis habenda, existimat modo laudatus Morhofius, quippe cui non absurdum videtur, dari posse naturas summe humidas, summeque flatulentas, quæ fortasse arte secretiori chemica ita præparari possint, ut fermentum aliquod magnæ massæ elementari præstare, atque subjecto alicui naturali nunc includi, nunc iterum elici queant. Multæ, addit l. c., latent in corporibus affectiones mirabiles, quæ non nisi per συζυγία inde eliciuntur. Hæc quamvis magna specie ita asserat Morhofius, malim tamen subscribere sententiæ B. Olear. qui in not. ad L. III. c. 14. Philostrati, hæc dolia ventorum & imbrum apud Brachmanes, pro machinis habet, nostris thermometris & barometris similibus, quæ tempestatum mutationes indicarint, quibus vero Damis, aliique simpliciores, causam cum effectu confundentes, vim tempestates excitandi tribuerint. Meliori forte jure huc referendi sunt, septem annuli, quos Jarchas, Brachmanum antistes, Apollonio dedisse fertur, stellarum septem nominibus insignitos. Lib. II. C. 41. Quod vero hi Philosophi Astrologiæ, artibusque divinatricibus minium tribuerint, (vid. Philostr. ibid.) id quidem cum plerisque Orientis Philosophis habuere commune. Stanl. l. c. sed eo ipso sapientiæ suæ haud levem superstitionis aspersere maculam. Ceterum hodiernum apud Indos Philosophorum superesse genus, quod Brachmanes vocant, itinerariorum scriptores docent, qui de illis referunt, quod vitam agant valde austeram, folisque herbis nutriantur, & metempsychosin credant. Sententiam illorum de mundo ita exprimit Burnetus, Arch. Philos. p. 472. Fingunt, immensam quandam araneam esse rerum causam primam, quæ, materia e suis visceribuseducta, hujusce universi telum, contextuit, & mira arte ordinavit. Sedet illa interea in arce sui operis, & cujusque partis motum sentit, regit & mode-

tiæ, tam arcanæ, quam in vulgus proferendæ, factus est particeps.

§. VIII.

Satis jam Indorum doctrina imbutus Apollonius, vario itinere in Occidentem revertitur, magnamque sui apud omnes sibi conciliaffe dicitur famam & admirationem, tum ob singulare vivendi genus, tum ob sapientiam, quæ ex omnibus suis dictis factisque elucebat. Non solum enim graves subinde, de emendandis moribus, ad populos habuit

„moderatur. Tandem, cum satis ludit in sua tela adornan-
 „da & contemplanda, retrahit, quæ evolverat, fila, atque
 „ita omnia resorbet in seipsam, totaque rerum creaturarum
 „natura in nihilum evanescit.„ Ipsorum vero Philosophi-
 am Moralem, cum Quietistarum sententiis in multis esse con-
 formem, asserit Baile, in suo Diction. art. Brachmanes, not. I.
 p. 691. edit. secundæ. De Brachmanibus hodiernis peculiarem
 scripsit librum, Abr. Rogerius, lingua Belgica, e Amstel. 1651.
 8vo. edit. quem deinde in linguam germanicam vertit,
 Christoph. Arnoldi, sub. tit. *Offne Thur zum Heydentum*,
 Norimb. 1665, 8vo. Monstrosi tamen & ineptis fabulis refer-
 tum illum esse, Morhofius asserit l. c. Pertinet huc etiam Ioh.
 Marechalli Epistola, quæ in Memor. Trevoltni. T. I. p. 401. ex-
 tat, & Caroli Gobieni (de Govea) Soc. Ies. Histoire de l' Edit
 de l' Empereur de Chine, en faveur de la Religion Chretienne,
 conf. Jonsius L. III. c. 28. §. 9. Baile l. c. Gundlingii Hist. Phil.
 Moral. C. V.

Vario itinere. Id quod prolixè enarrat Philostratus L. III. c. 50.
 seqq. quod tamen heic recensere, nimis esse prolixum; ne-
 que etiam curamus, quæ passim de variis regionibus, quas
 visit Apollonius, mira narrat Philostratus, verane sint, nec
 ne, cum ea non tam Apollonii attingant Historiam, sed au-
 tor potius suam, etiam de dissitarum regionum natura &
 conditione, peritiam indicare voluisse videatur; quamvis
 de cetero non negemus, multa in his occurrere, quæ fabu-
 lam nimis aperte sapiunt.

habuit orationes, sed & ipso facto, multa, singularis suæ scientiæ, quam possidebat, edidit specimina, inter quæ Philostrato unum ex præcipuis est, quod Ephesiis pestem futuram prædi-

B 3

xerit,

Ephesiis pestem prædixerit. Artem divinandi, sive, futura ex certis signis prænoscendi, admodum fallacibus niti fundamentis, dudum & experientia & ratio probavit: hoc tamen non obstante, sui semper cultores illa invenit, inter eos etiam, qui sapientiores reliquis videri volebant: ut enim alia iam taceam exempla, non solum Orientales Philosophi fere omnes, multum ipsi tribuebant, vid. Stanl. Hist. Phil. Or. Indique haud ultimam, sapientiæ laudam in ea quærebant. Philostr. L. III. c. 41. Sed & Pythagoras divinationem inter disciplinas Philothopicas referebat, illamque non solum ipse exercebat, sed & suis maxime commendabat. Stanl. Hist. Philostr. L. VIII. p. 674. sq. tanquam intimioris familiaritatis cum Diis, ad quam per vitam puram ascendatur, signum. Ex quibus facile colligere est, quid de Apollonii prædicendi arte sentiendum sit. Scilicet, ne ullam Philosophiæ Pythagoricæ partem prætermisisse videatur, quam non perfecte calleat, scientia futura præcernendi, se etiam instructum esse, sibi aliisque persuadebat; hinc ad Damidem, teste Philostr. L. III. c. 32. dicebat: se facienda non solum nosse, sed etiam antea nosse. Philostratus etiam, ut perfectum Pythagoræ exemplar in Apollonio exhibeat, plurima prædictionum exempla de ipso refert, inter quæ tamen nonnulla prorsus conveniunt cum iis, quæ de Pythagora ex Laertio atque Jamblichio adducit. Stanl. L. V. C. 18. v. g. hoc ipsum de peste Ephesiorum, item, de navi in mari submersa, conf. Philostr. l. c. & L. V. c. 18. ut adeo illa ad analogiam Pythagoricorum finxisse Philostratus videatur. Alia vero vaticiniorum Apollonii specimina quæ passim exhibet Philostratus, ita sunt comparata, ut nihil in iis inveniamus, quod non quilibet vir prudens, & ad rerum circumstantias attentus, facili negotio potuerit prævidere. v. g. Neronis operam in fodiendo Isthmo Corinthiaco fore frustaneam, L. V. c. 7. Gal-

xerit, eosque etiam ab illa iterum liberaverit. Hæc vero aliaq;
ab Apollonio patrata facinora, multis ansam dedere, Apol-
loni-

Galbæ, Vitellii, & Ottonis imperium non fore diuturnum
ibid. c. 11. Vespasianum dignitatem Imperatoriam adepturum.
ibid. c. 28. ut alia jam omittam exempla.

Liberaverit. Medicinæ operam dedisse Pythagoram, ex Æliano
ostendit Scheff. de Philos. It. p. 96. ipse etiam Apollonius
huic arti, tum Ægis in Æsculapii templo Phil. L. I. c. 8. tum
apud Brachmanes, incubuit; neque hujus scientiæ gloriâ
ipsi denegamus. Sed non possumus non pauca quædam
annotare ad ea, quæ Philostratus refert, de modo, quo A-
pollonius Ephesios a peste liberavit: dicit namque: pestem
sub forma pannosi mendici inter Ephesios obambulasse, at A-
pollonium cognoscentem hunc mendicum non esse verum
hominem, Ephesios instigasse, ut lapidibus illum obruerent;
quo factò pestem cessasse, sub lapidibus vero loco mendici,
formam maximi canis apparuisse. Hæc summa est eorum,
quæ L. IV. c. 10. apud Philostratum extant, ob quæ haud
immerito false illum perstringit, Eusebius contra Hier.
c. 28. tanquam qui miros de morbis, eorumque causis, sibi
formarit conceptus. Interim si conjecturis hæc licet in-
dulgere, hoc Philostrati commentum, ex ignorantia modi
loquendi, apud Pythagoreos recepti, ortum videtur, quippe
qui ea, quæ figurate & symbolice de Apollonio relata inve-
nit, in sensu literato & nude interpretatus est. Verus au-
tem & genuinus sensus hic videtur esse: Ephesios per pra-
vam vitæ consuetudinem, luxuriem imprimis, varios sibi
contraxisse morbos, a quibus non potuerint librari, nisi al-
liam vivendi rationem eligant; ægre vero ad hanc potuisse
duci sententiam, suos mores pro innocentibus, nilque mali
secum ferentibus, habentes; tandem tamen dictis Apol-
lonii obedientes, non solum pristinam recuperasse sani-
tatem, sed simul noxam ac turpitudinem pristinæ vitæ ipsos
agnovisse. Hac ratione, si interpretantur ea, quæ de libe-
ratione a morbo, ab Apollonio Ephesios præstita, intelligan-
tur,

Ionium pro mago & incantatore habendi; testantur id ea quæ ipsi, cum Athenis versaretur, acciderunt: cum enim Sacris Eleusiniis ibidem vellet initiari, repulsam tulit a Sacrorum antistite, eo quod magus esset. L. IV. C. 18.

§. IX.

tur, omnia erunt plana, & cum Philosophia viri probe convenientia, quæ alias secundum literam explicata, absurda evadent & ridicula.

Sacris Eleusiniis. Eleusiniorum Sacrorum nomine venit solenne quoddam Festum, apud Gentiles, imprimis vero Athenienses, celebratum, quo homines diis sese certis ceremoniis dicabant, seque ad vitam caste & temperanter vivendam constringebant. Denominationem hæc Sacra habebant ab Eleusine, urbe Athenis vicina, ubi Cereris Eleusiniæ erat templum, in quo hæc sacra peragebantur; originem debebant Erichtheo Ægyptio, Atheniensium Regi; hinc etiam cum Sacris Ægyptiorum, quæ in honorem Isidis celebrabantur, exacte convenisse Eleusinia, asserit Diod. Sic. Bibl. L. I. Duplicis autem illa erant generis, majora & minora. Eleusinia majora quotannis mense Boëdromione, quem nostro Augusto respondere dicunt chronologi, celebrabantur, in memoriam Proserpinæ, filiaë Cereris, a Plutone raptæ. Minora incidebant in mensem Anthesterionem, sive Novembrem, iisque occasionem dedisse fertur, Hercules Cerberum occidens; & de hisce minoribus, Philostrato sermonem esse, ex Cap. præc. 17. patet, ubi dicitur, autumnum tum fuisse, cum fuerint celebrata. Magno vero ceremoniarum ac pomparum apparatu hæc Eleusinia Sacra atque initiationes peragebantur: simul autem sub capitis poena fancitum erat, ne quis, ad illa admissus, vel minimum divulgaret, hinc etiam mysteria vocabantur. Neque etiam omnes ad hæc sacra admittebantur, sed ii tantum, qui vitam hæcenus duxerant inculpata, nulliusque homicidii erant rei; (hinc & de Nerone relatum legimus ap. Sveton. in Ner. C. 34. quod non ausus fuerit, hisce interesse sacris, cum in Græcia esset, eo quod ab ipsorum initiatione voce præconis impii & scelerati fuerint submoti.) Magiæ quoque suspen-
si

§. IX.

Post illa tempora Romam quoque profectus est Apollonius, ubi tamen haud leve ipsi imminebat periculum. Nero enim qui tunc imperabat, non solum, edicto promulgato, omnes Philosophos magia suspectos, in quorum numero etiam Apollonius, ex multorum opinione, erat,

eti ab hac initiatione arcebantur: quæ etiam fuit causa, cur Apollonium antistes noluerit admittere, quamvis post quatuor annos præterlapsos, a successore ejus, sine ambagibus initiatum ipsum fuisse, referat Phil. L. V. C. 19. Durabant vero hoc Sacrorum Eleusiniarum festum per 9. dies, inter quos octavus Epidaurii vocabatur, quia Æsculapius, hiscæ Sacris quondam initiandus, illo ipso die Epidauro Athenas venerat, & hinc, hoc Epidauriorum die initiatio repetebatur, in gratiam eorum, qui ob impedimenta primis diebus adesse non poterant. Celebrabantur autem hæc Mysteria Eleusinia, non Athenis modo, sed & Romæ atque aliis in locis, donec tandem a Theodosio M. Imperatore lege publica fuere abrogata. conf. Ioh. Meursii tr. de Festis add. das Allgem. Hist. Lexicon, art. Eleuf. Morhof. Polyh. L. I. C. XIII. p. m. 124.

Romam profectus est. Primum hoc fuit iter Romam Apollonii; de ipsius adventu ibidem notat Phil. L. IV. C. 43. quod factus sit paucos dies ante eclipsin solarem, quam subsecutum est portentum aliquod notabile, quo scilicet fulgur poculum ex manu Neronis coenantis discussit; meminit hujus rei etiam Tacitus An. L. XIV. C. 22, eclipsin autem hanc sub Neronis imperio accidisse notant Astronomi, juxta calculam quem exhibet Olearius in Not. ad h. l. Philostrati, ann. p. c. n. 64. Kal. Aug. circa meridiem, ut adeo Apollonius tunc jam 67. natus fuerit annos, cum Romam veniret.

Promulgato edicto. Vid. Phil. L. IV. c. 34. hujus tamen edicti Neronis contra Philosophos neque apud Seetonium, neque apud Tacitum fit mentio, quamvis Tacitus An. L. XII. C. 22. Neronem magis insensum fuisse referat.

rat, Italia expulit, Musoniumque in duram coniecit carcerem:

C

Musoniumque in carcerem. Varii inter veteres Philosophos celebres fuere Musonii, quos enarrat Jonsius l. c. it. L. III. c. 8. §. 9. Sed quinam ille sit, cujus Philostratus h. l. meminuit, de eo non una est eruditorum sententia. Modo laudatus Jonsius eundem illum esse putat, cum Musonio Philosopho Cynico, de quo Evnapius in præf. ad vit. Soph. refert, quod tempore Apollonii Tyanensis inter Cynicos fuerit celebris: alii vero intelligunt C. Musonium Rufum Tyrrenum, Philosophum Stoicum, ordinis equestris hominem, de quo etiam Jonsius l. c. Laudat hunc Musonium Tacitus, quod studia juvenum præceptis sapientiæ fovirit Romæ, tempore Neronis. An. L. XV. 71. quodque constantiam operiendæ mortis pro incerta ac trepida vita svaferit Plauto, cui Nero infensus erat, ib. L. XIV. 59. add. Hist. L. III. c. 31. Maximum hic dubium occurrit, de patria, cum Musonius Philostrati non Tyrrenus fuerit, sed Babylonius; ad hoc vero respondet Olearius: voc. Babylonius, non denotare patriam Musonii, sed Sectam; in Moralibus enim Stoicorum secutum esse placita Musonium existimat, in Pnevmaticis vero Chaldæorum & Platonicorum, qua propter & magiæ fuerit suspectus. Hanc conjecturam ex Suida corroborat, qui Musonium Tyrrenum vocat Stoicum & Dialecticum, i. e. Platonicum. (Platonici enim ad Dialecticam referebant doctrinam de spiritibus, in qua multa cum Orientalibus communia habebant:) hanc ob causam etiam Philostratum ita emendat, ut loco: *Μυσώνιος, ὁ Βαβυλώνιος ἀνὴρ, Ἀπολλ.* legat: *Μυσώνιος, ὡς Βαβυλώνιος, ἀνὴρ Ἀπολλ.* forte etiam loco *Βαβυλώνιος*, legi potest *Βουλσώνιος*; Bulsinio namque, sive Volsinio, ortum esse Musonium, docet Suidas. Non solum autem carcere multatus fuit Musonius a Nerone, sed & in Peloponnesum, ad Isthmum fodiendum, missus, Phil. L. V. c. 19. tandemque Gyara relegatus fuit. L. VIII. c. 16. Vespasianus vero ipsum Romam revocavit, tantique æstimavit, ut cum ipse omnes Philosophos Roma expel-

rem: Sed & ipsi Apollonio Tigellinus, Præfectus Prætorii, varias struxit insidias, ipsumque tandem, ob quædam liberius in Neronem dicta, in jus vocavit, dictaque, apologia ægre dimisit. Philostr. L. IV. c. 44.

§. X.

Inter omnia vero, quæ Philostratus Apollonio tribuit, facta miranda & singularia, illud sine dubio præcipuum & maximum est, quod ipsum Romæ patrasse scribit L. IV. C. 45. mortuæ scilicet puellæ resuscitatio. Hæc namque, si revera ita facta fuisset, magnum sane suæ causæ invenisset præsidium

expelleret, solus hic Mufonius manendi libertatem obtineret. Jonsf. l. c. Ceterum varios scripsisse dicitur libros Mufonius, itemque Epistolas, quæ tamen omnia injuria temporum periire. Mufonii hujus ἀπομνημονεύματα collegit Asinius Pollio Trallianus, qui sub Adriano Imp. floruit; exhibet ea Stollus in der Hist. der Heydn. Moral. p. 503. seqq.

Tigellinus. Hunc Tigellinum Neroni omnis crudelitatis omnisque lasciviæ fuisse magistrum, refert Philostratus l. c. c. 44. Paria habet Tacitus An. L. XV. c. 50. & 61. qui & Hist. L. I. c. 72. talem ejus facit descriptionem: Sopho-
 „nii Tigellinus, obscuris parentibus, foeda pueritia, im-
 „pudica senectæ, Præfecturam vigilum & Prætorii, & alia vir-
 „tutum præmia, quia velocius erat vitiis, adeptus; crudeli-
 „tatem mox, deinde avaritiam & virilia scelera exercuit,
 „corrupto ad omne facinus Nerone, quædam ignaro ausus,
 „ac postremo ejus desertor ac proditor. Hic etiam Tigellinus
 „ancillas Octaviæ, Vxoris Neronis, tormentis subjecit, ut
 „adulterium fateantur dominæ, cui quid una ex illis, Pythias,
 „responderit. vid. ap. Tac. An. L. XV. c. 60. Tandem vero
 „dignum sua vita habuit exitum: Excitata namque sub Vi-
 „tello populi seditione contra Tigellinum, cum necem si-
 „bi instare videret, inter stupra concubinarum, & oscula, &
 „deformes moras, sectis novacula faucibus, infamem vitam
 „foedavit exitu sero & inhonesto, Tac. Hist. l. c.

um Hierocles, in comparatione, quam inter Christum & Apollonium instituit. Mortuorum namque resuscitatio, divinæ prorsus virtutis opus est, quod Magorum etiam, & Dæmonum vires superat. Tanto accuratius ergo ad ea attentendum, quæ de hac re Philostratus refert, ut appareat, quantum huic factò Apollonii sit statuendum pretium. At vero, ipse Philostratus adeo frigide hanc recenset resuscitationem, ut haud obscure ipse de veritate ejus dubitasse videatur. Certe puellam, quam resuscitasse Apollonius creditus est, verè mortuam fuisse, asserere non audet, sed ipsam tantum ita visam: κόρη, inquit τῆς θανάτου ἔδοκε, it. ἀθύρπισι ὁ ἀπολλ. τὴν κόρην τῆς δοκῆντος θανάτου. Dubius quoque est, & pro difficili judicatu habet, num in hac puella, pro mortua credita, scintillam adhuc animæ invenerit

C 2

rit

Scintillam animæ. Multæ, uti in §. adduxi, sunt rationes, quæ omnem hanc Philostrati, de resuscitatione puellæ ex mortuis, per Apollonium facta, relationem faciunt dubiam & suspectam. Quod si tamen concedamus, ipsum suscitasse illam, quæ mori visa est, vere tamen mortuam non fuisse, præter ipsam Philostrati dubitationem, omnes etiam circumstantiæ facti docent. Puellam enim dicit fuisse, ætate nubili; (κόρη ἐν ὄρῃ γάμου) notum vero est ex Medicorum observationibus, sequioris sexus homines, ejusmodi sæpe numero subjectas esse morbis, qui vel vehementia doloris, vel aliis ex causis, in gravissima ipsas conicere possunt animi deliquia, adeo ut sæpe numero ne minimus quidem vitæ, aut caloris, sensus, per integros dies in illis deprehendatur, sed pro mortuis habeantur, sæpe etiam in hoc statu ad sepulchrum efferantur. Quid igitur prohibet, quin & huic, de qua loquimur, puellæ tale quid accidisse dicamus. Apollonius autem, uti rerum naturalium, ita imprimis Medicinæ peritissimus (Medicinam namque in Æsculapii templo didicit, Phil. L. l. c. 9. seqq. & Indiæ quoque sapientes hac in arte excelluisse, supra ad §. 7. vidimus,) cognito morbo, putatitæ

rit Apollonius, quæ latuerat Medicos, num animam re-
 focillaverit & reduxerit. Neque ipsi etiam Romani hoc
 factum Apollonii magni æstimasse videntur, cum nulla e-
 jus neque ad Cæsarem, neque ad alios pervenerit fama.
 Quod tamen, in re tam singulari ac plane extraordinaria, fa-
 ctum omnino fuisset. Neque etiam Euphrates in libello, con-
 tra Apollonium Domitiano tradito, ullam hujus facti injecit
 mentionem, cum tamen ex illo palmarium suæ accusatio-
 nis desumere potuisset argumentum, vid. Euseb. contra
 Hieroc. C. 30.

§. XI.

Roma discedens Apollonius, ad Occidentales orbis
 partes se vertit, ut & cum Philosophis ibi degentibus ver-
 saretur.

titix mortis in puella causa, facile eam non esse verè mortu-
 am potuit suspicari: aperto igitur feretro, cum ægrota li-
 beriori exponeretur aëri, spiritus etiam vitales sese iterum
 colligebant, vitæque redibat. Accedit, quod eo ipso tem-
 pore pluviam cecidisse afferat Philostratus; quantum vero
 aquæ aspersio, in deliquiis animi, afferat remedium, omni-
 bus est notum. Ex quibus apparet, Apollonium hoc factio
 nullum majus edidisse miraculum, quam quod quilibet Me-
 dicus, artis suæ gnarus, data quavis occasione ederet potest.
Philosophis ibi degentibus. Intelligit Philostratus sine dubio Gal-
 lorum Celtarumque Philosophos, qui Druides vocaban-
 tur. (De cujus vocis origine, num ab Hebr. אֱוִי, vidit,
 speculatus est, num a Græcorum *ἄεϋς*, Celtarumue *Deru*,
 quæ quercum denotant, descendat, diversæ sunt sententiæ.)
 Magnæ vero apud suos autoritatis erant Druides, idem-
 que valebant, quod Magi apud Orientales, qui præter
 Philosophiæ sacrorumque curam, præcipua quoque regni
 negotia tractabant. Hinc etiam de Druidibus refert Strabo
 L. V. quod præcipua publica ipsis privataque commissa fue-
 rint judicia. De Philosophia ipsorum parum constat; non
 solum enim Druides, literas ignorantes, nil scriptis consigna-
 bant,

faretur. Columnas etiam Herculis, & Gades & Oceani æstum vidit; simul vero, occasione intimioris, quam cum Bæticiæ Provinciæ Procuratore contraxit, amicitia, haud parum promovit sua approbatione, gravem illam, quæ

C 3

contra

bant, sed & sedulo cavebant, ne quid suorum dogmatum in vulgus dimanaret. Hoc tamen certum, Animas imortales ipsos credidisse, illasque e corpore in corpus migrare; multumque disputatur, num Druides a Pythagora, num Pythagoras a Druidibus primum hoc didicerit dogma: Pythagoram namque Druidas quoque, Philosophiæ causa, adisse, historia Philosophica docet, cujus sive dubio commotus exemplo, idem suscepit iter Apollonius. Plura de Druidibus eorumque Philosophia, vid. ap. Gundlingium in Hist. Phil. Mor. C. VI. p. 54. sqq. ubi etiam scriptores huc facientes allegantur. conf. Stollii Hist. der Gel. L. II. C. I. §. 26.

Columnas &c. De his omnibus, impr. vero æstu, sive æstuario Oceani prope Gades, vid. Strabo Geogr. L. III. p. 96.

Bæticiæ Provinciæ Procuratore. Bæticiæ Provincia apud veteres Geographos ea vocatur Hispaniæ pars, quæ versus Africam vergit, atque comprehendebat regiones, quæ hodie Andalusia, Granada, & Murcia vocantur. Quinam vero hic sit Procurator Provinciæ, cum quo contra Neronem conspiravit Apollonius, non liquet. Sergius equidem Galba tunc temporis Provinciæ præerat, notique sunt motus, quos contra Neronem excitavit. Sed non erat Procurator, (*ἐπιτροπέων*), quales plures simul in una Provinciâ esse poterant, nullaque, nisi raro admodum, civili gaudebant potestate; sed Prætor, (*ἀρχων*) quæ summa in provinciis apud Romanos erat dignitas. Neque etiam Julius Vindex intelligi potest; uti ex Philostr. L. V. c. 10. posse colligere; nam quamvis & hic conspirationis illius fuerit conscius, primusque omnium publice contra Neronem surrexerit, sociis Asiatico, Flavio & Rufino, Galliarum Ducibus, non tamen Hispaniæ Provin-

contra Neronem, tunc temporis excitabatur in illis regionibus, conſpirationem, & quæ non niſi peremto Nerone fuit ſopita Philoſtr. L. V. C. I. ſqq.

§. XII.

Provinciae, ad quas Bætica ſpectabat, ſed Galliae Narbonenſi præerat. Svet. in Galba.

Promovit conſpirationem contra Neronem. Conjicit id Philoſtratus l. c. ex arcano colloquio, quod Apollonius & Procurator provinciae, ſemotis omnibus arbitris, invicem habuere. Nec a vero id abhorret, modo conſideremus, quantum Neroni inſenſus fuerit Apollonius, & quam abjecte paſſim & acriter ipſius carpat facta. Philoſtr. L. III. c. 36. & 38. ſqq. it. L. IV. C. VI. ſqq. & cum his conferamus ea, quæ contra Domitianum molitus eſt, contra quem totum fere concitare tentavit mundum. vid. idem L. VI. & VIII. paſſim. Philoſtratus equidem laudat hoc, tanquam ſingulare aliquod & heroicum factum, & ex puriſſima Philoſophia proveniens: at vero, melius forte famæ viri conſuluiſſet, ſi id plane ſilentio præteriſſet, tantum enim abeſt, ut hoc laudi poſſit duci Apollonio, ut potius haud levem ſuæ, quam ubique præ ſe ferebat, pietati & ſapientiae adſperſerit maculam. Philoſophia certe ipſum non docuit ſubditos concitare in magiſtratus, ſed potius ambitio, quam ab opinionem ſapientiae de ſe ipſo habebat, & indignatio, quod non pro meritis æſtimatus fuerit ab hiſce imperatoribus. Cet im-
 „poſteur, (verba ſunt Bælii in Diction. Art. Apollon. not. B.) a-
 „voit fait un ſinge du fils de Dieu, par raport a diverſes cho-
 „ſes, mais ſur l' article de la ſoumiſſion, & de la patient-
 „ce, il ſe demaſqua, il donna du nez a terre. Sed in eo
 plerique Gentilium Philoſophi a recto aberrarunt tramite, docetque Hiſtoria Philoſophica, quod Pythagoras, Plato, aliique, conſpirationibus contra reges & principes fuerint impliciti. vid. Stanl. in Vit. Pyth. C. XVII. Platonis C. IX. Ariſtotelis C. IX. cujus cauſam hanc allegat Baile l. c. quod ipſi homines conſiderent tantummodo quatenus ſint inter ſe æquales, non vero quatenus certis ordinibus a Deo ſint diſtincti, quod ſola Religio Chriſtiananos docere poteſt.

§. XII.

Vltimum tandem Philosophicum, ut ita loquar, iter Apollonius, septuagenario jam major, instituit ad Gymnosophistas, Æthiopum Sapientes, ut eorundem sapientiam cum Indica comparet. Quo peracto, lustratis adhuc variis gentibus, Dömitiono Imperante, Romam rediit, mox vero ob

Septuagenario major. Eo nempe anno, quo Flavius Vespasianus Imperator Rom., contra Judeos in Palestina tunc militans, electus fuerat, qui est p. c. n. 69. hoc iter suscepit Apollonius. Philostr. L. V. c. 43.

Gymnosophistas. Ita namque appellabant Æthiopum Philosophos Græci, eo quod nudi incedebant: originem debere feruntur Indis, multaque cum ipsis communia habuere dogmata & instituta, illos tamen Indos præ se contempsisse, refert Philostratus, quos vero Apollonius Æthiopibus præfert. Phil. L. III. C. XX. & L. VI. C. X. Inter philosophandum, æque ac Ægyptiorum sapientes, arcana & hieroglyphica utebantur ratione, teste Diod. Sic. Bibl. L. IV. C. I. Ceterum præter ea quæ Philostratus & Diodorus II. cc. habent, pauca de Gymnosophistis relata invenimus, nec quicquam de eorum Philosophia literis consignatum ad nos pervenit, hinc etiam parum certi de ipsis potest dici. Hodie apud Æthiopes nulla, neque Philosophiæ, neque librorum cura, sed horrenda regnat barbaries, uti ex Jobi Ludolphi Hist. Æth. ostendit Gundling l. c. c. V. p. 32. sq. Ceterum quando Phil. L. V. cap. 37. Æthiopum sapientiam, Ægyptiam vocat, aut Ægypti vocabulum in latiore sumit sensu, pro omni regione ad utramque Nili ripam, ab ejus fontibus, usque ad ostia; aut Ægyptiorum Philosophiam cum Æthiopica unam eandemque fuisse indicat.

Lustratis variis Gentibus. Ægyptiis imprimis, Phœnicibus, Sicilibus, Achæis aliisque. Judæorum autem terram noluit intrare, quia illam habitatores ejus, tum his quæ egissent, tum quæ passi essent, inquinassent. Phil. L. V. c. 27.

ob varia, quæ ipsi imputabantur, Euphrate imprimis delatore,

Ob varia, quæ ipsi imputabantur crimina. Erant hæc crimina frequentia. 1.) Quod magus esset & incantator. Indicat hoc ipse Domitianus L. VI. c. 34. non dimittam te, ad Apolloniam dicens, antea quam in aquam conversus fueris, aut feram quampiam, aut arborem. Et cum in dicafterio coram Imperatore se fisteret Appollonius, ad defendendum se, prohibuit ille, ne amuletum, neve libellum, neve aliud quodcunque scriptum adferret, magica sc. veritus incantamenta. Philostr. L. VIII. c. 3. 2.) Quod cum Nerva, Orphito & Rufo, Imperatori insidias struxerit. ibid. Lib. VIII. c. 8. sq. & L. VIII. c. 7. & 10. sqq. 3.) Quod puerum immolauerit, ut ex juvenilibus exitis futura cognoscat, (quale nefandum & horrendum sacrorum genus, apud plures receptum fuisse gentiles, historiæ doceant) 4.) Quod ab aliis se adorari patiatur, seque ipsum vocet Deum, L. VIII. c. 7. §. 7. p. 336. denique. 5.) de vestitu, & singulari vivendi genere quædam addebantur. Ibid. §. 5. sqq.

Euphrate delatore. Euphrates patria Ægyptius fuit. (vid. Phil. L. VIII. c. 7. §. 16. Evnep. de Vit Soph. in proem.) Philosophia Stoicus, primum Apollonii amicus, mox vero, cum videret Apollonium pluris æstimari a Vespasiano quam se, hostis, qui ipsum non solum apud Æthiopes est calumniarius. L. VI. C. 7. sed & peculiari tradito Domitiano contra Apollonium libello, eorum, quæ modo allegavimus, accusavit scelerum. L. VIII. C. 3. describit uero Philostratus Euphratem, quod sit *Φυλάεγγυρος*, & quod quæstum per mercaturam, modo Philosopho minus digno, quærat: varia quoque in suis epistolis ipsi objicit Apollonius. conf. Ep. IV. & VIII. quod si vero ea, quæ apud Philostratum extant de Euphrate, conferamus cum iis, quæ de hoc Philosopho scribit Plinius L. I. Epistol. Ep. 10. facile suspicio potest oriri, Apollonium, objiciendo Euphrati tam gravia, iræ; Philostratum vero, nimio in suum Philosophum affectui, plus iusto indulgisse. Laudat sane Plinius Euphratem (quem, dum

latoꝛe, crimina, in carcerem coniectus, vinculisque constrictus est, mox tamen, dicta apologia coram ipso Cæsare, salvus & incolumis ab ipso dimissus est.

D

§. XIII.

dum in Syria versaretur, Philosophiam docentem audivit,) quod sit obuius, & expositus, plenusque humanitate, & quod ob virtutes præ multis emineat & eluceat. Vitæ, *pergit*, sanctitas summa, comitas par; insectatur vitia, non homines, nec castigat errantes, sed emendat. Plin. l. c.

In carcerem coniectus. Phil. Lib. VII. C. 32. divinitus pro more hæc prospexisse Apollonium, Philostratus docet. L. VII. C. 10. sed divina sapientia aut revelatione ad id prævidendum opus non habuit, modo circumstantias illius temporis, suæque personæ voluerit attendere.

Apologia. Prolixam tui defensionem literis consignatam habuit Apollonius, quam perorare coram Cæsare animus erat: sed illa non habebat opus; post breve enim colloquium Domitianus ipsum pronunciabat liberum. L. VIII. c. 5. ipam Apologiam exhibet Philostr. l. cit. c. 7. Singula accusationis capita ordine refellit Apollonius, in ea & quidem. 1) magum se esse negat, cum nulla in eum magorum cadant attributa. C. 7. §. 3. neque Vespasianus, Domitiani parens, tanto ipsum in honore habuisset, si ipsum magum credidisset. ibid. §. 2. Ephesiorum autem pestem præsensisse dicit, ex pessima incolarum vita, quæ non potuerit non graves post se trahere morbos. ib. §. 9. conf. L. VIII. c. 5. 2) cum Nerva & fociis, tanquam viris probis, amicitiam quidem coluisse fatetur, sed contra Cæsarem conspirasse negat. §. 10. 3) famam de immolato puero acerrimum esse mendacium asserit, multisque argumentis & testibus probat, ea nocte, qua facinus ipsum peregisse asseruit delator, pedem domo non extulisse, ibid. §. 12. sq. 4) se Deum esse, aut pro tali velle videri, aut etiam ab aliis pro Deo haberi, negat. ib. §. 7. 5) eo se uti vestitu & vivendi genere dicit, quali ipsum, Philosophiæ Pythagoricæ deditum, uti deceat. ib. §. 6. sqq.

§. XIII.

Superato igitur, quod Romæ ipsi imminebat ab Domitiano, ancipiti periculo, Puteolin primum, mox in Græciam

Puteolin primum. Eo namque ablegaverat Damidem Apollonius, antequam in iudicio coram Domitiano se defenderat. Vid. Philostr. L. VII. c. 41. Refert autem Philostratus, L. VIII. c. 12. eo ipso die, quo coram Domitiano steterit Apollonius, iter Roma Puteolin ipsum paucarum horarum spatio absolvisse, cum tamen miliaria Germanica XX. ad minimum, abs se invicem distent hæc duæ urbes. Quæ si vera essent, fateor, gravissimum inde desumi posse argumentum suæ sententiæ, ab iis, qui Apollonium Magum fuisse asserunt: quamvis enim ex sententia Trithemii Abbatis, teste Morhofio loco supra cit. beneficio arcani summe Physici, sed in cœlestem plane naturam redacti, fieri possit, ut corpus una tempore pluribus in locis videatur: nunquam tamen ille cum suo asserto fidem inveniet, quippe quod cum ipsa corporis natura & essentia nunquam potest conciliari; sed potius bonus ille Trithemius, ex nimia in chemicas artes confidentia, plus ipsis tribuit, quam unquam experimento aliquo probare poterit. Ad motum naturalem corporis, imprimis vivi, de loco in locum, requiritur spatium temporis, distantia extremorum, atque naturæ corporum conveniens; violentus vero atq; celerior, qua ratione per media naturalia, sine destructione moti corporis excitari possit, me perspicere non posse; fateor. Aliter vero se res habet, cum facultate movendi se & alias substantias, quæ spiritibus competit. Illos namque, non modo ipsos celerrime ex uno loco in alterum pervenire, sed & pari ratione substantias corporeas secum posse rapere concedimus. Testantur id, si profanorum scriptorum testimonia alicui forte dubiæ videantur fidei, plurima ipsius S. Codicis exempla. Iam vero, ut ad Apollonium nostrum, ejusque mirabile iter redeamus, si vere illud ita fecisset, uti Philostratus refert, aut Dei, aliusve boni spiritus opera, illud ipsum absolvisse dicendum est, aut auxiliante malo genio:

ciam abiit, atque Joniam. Ibi factum est, ut, cum aliquando Ephesi orationem haberet, subito inter perorandum conticeret, mox tanquam extupescens exclamaret: cæde, tyrannū, cæde: conversaque iterum ad adstantes oratione, Domitianum eo ipso momento Romæ fuisse occisum, denunciavit; id quod haud multo post nunciorum, Roma venientium, relationes confirmarunt. vid. Phil. L. VIII. C. 25. sq.

D 2

§. XIV.

genio: Illud dici non potest; quid enim Deo, aut bonis angelis, cum homine gentili atque idololatra, rei est? quod si vero diaboli ope hac in re usus esset Apollonius, magiæ certissimum edidisset specimen, quam tamen & ipse, & Philostratus, & plures alii, immerenti sibi imputari conqueruntur: ad figmenta ergo Philostrati tota res referenda venit, qui dum Apollonium nimium laudat, famam viri imprudens in periculum haud leve inducit. Scilicet, jam supra annotavimus, haud uno ex loco patere, parallelismum Pythagoram inter & Apollonium servasse Philostratum in sua historia, cujus asserti nova hic sese offert probatio. De Pythagora Jamblichus & Porphyrius referunt, quod eadem die Metaponti in Italia, & Tauromenii in Sicilia, præfens fuerit amicis; quæ tamen loca multis terra marique stadiis divelluntur, aliquot dierum itinere distantia. vid. Stanl. loco supra cit. Ne igitur hæc etiam in re Magistro cedat discipulus, paria de Apollonio fingit Philostratus. Id quod nimis manifeste prodit, L. III. c. 6. ubi Apollonium Smirnæ & Ephesi simul fuisse dicit, idque ad Pythagoræ exemplum factum esse, expresse addit.

Ephesi orationem &c. Eodem, quo Philostratus, modo, hanc Apollonii, de cæde Domitiani visionem, narrat Dio Cassius Hist. L. LXVII. atque Xiphilinus in Domit. sub fin. Sed neutrius nos movet autoritas, quo minus & in hoc mendacii incusemus Philostratum, præsertim cum reliqui omnes scriptores, qui vel ipso mortis Domitiani tempore, vel paullo post vixerunt, ne verbulo quidem hujus rei faciant.

§. XIV.

Post Domitiani cædem, quam diu adhuc vixerit Apollonius, Philostratus nobis ex defectu monumentorum indicare non potuit. vid. L. VIII. c. 29. Neque etiam de modo, quo obierit, certi aliquid constare dicit, ib. hinc alii hac, alii alia ratione ipsum e vita discessisse finxere, quorum tamen neutri

ciant mentionem; de Dione vero notum fit, quod plurima summæ credulitatis in sua Historia reliquerit indicia. vid. Stollii *Zist. der Gel. L. I. C. VI. §. 16.* Xiphilinus vero, cum nil aliud egerit, quam quod Dionis Historiam in compendium redegerit, majorem non meretur fidem, quam ipse Dio habet. Sed esto, rem reverâ ita, uti Philostratus et Dio habent, contigisse, propterea tamen inter magos non referendus est Apollonius, sed potius in ipso aliquod deprehendimus testimonium, virium animæ humanæ, in cognoscendis rebus, nobis abditissimarum, quas tamen subinde modo prorsus extraordinario ipsa exierit. vid. Syrb. Phil. Prim. P. II. c. IV. §. 17. sqq. p. 442. sqq.

Quam diu vixerit. Ex iis, quæ de tempore, quo natum diximus Apollonium, supra observavimus, centesimum ad minimum vivendo attigit annum; a nato enim Salvatore nostro, ad imperium usque Nervæ, 98. annos numerant Chronologi; Apollonius vero tres annos ante Christum est natus; num vero primo statim Imperii Nervæ anno obierit Apollonius, an diutius adhuc superstes fuerit, ignoratur. Autor quidem Chronici Alexandrini, anno Adriani Imperatoris septimo, qui est 125. p. c. n. Apollonium Tyanensem mortuum fuisse asserit: de nostro tamen hoc intelligi vix potest, non enim credibile est, ipsum 20. & amplius annos latuisse ignotum, qui antea tantam sibi comparavit famam: de iuniori ergo Chronicon loqui Apollonio Tyanensi, eruditorum est sententia, de quo supra. Sect. II. §. I. quædam annotavimus.

neutri ipse Philostratus suum addere audet calculum, ibid.
Cap. 30.

§. XV.

Quamvis vero magna fuerit Apollonii, dum viveret, apud multos fama & autoritas, si Philostrato credendum; tanta tamen non fuit, quantam post fata ipsum fuisse consecutum, plurima nos convincunt veterum scriptorum, gentilium pariter ac Christianorum, testimonia. Hieroclem, aliosque gentilium, B. nostro Salvatori Iesu Christo, tum ob sapientiam, tum ob miracula opposuisse, iam supra Sect. II. & III. vidimus. Sed in eo non subsistentes, pro Deo ipsum habebant, templa ipsi, atque statuas in templis ponentes; ut jam nil dicam de figuris telesticis, quæ

D 3

Apol-

Templa. De templo, quod Tyanenses in honorem Apollonii ædificaverunt vid. Philostr. L. I. C. V. Imperatorem quoque Caracallam ipsi templum ædificasse, testatur Dio L. 77.

Statuas in templis. Ita de Aureliano Imperatore refert Vopiscus, in Aurel. c. 24. quod imaginem Apollonii in multis viderit templis; quantum Alexander Severus ipsum honoraverit, supra Sect. II. §. 3. exposuimus. Simulacrum etiam Apollonii, sub nomine Herculis Alexicaci, ab Ephesiis suo tempore honoratum fuisse, refert Lactant. Instit. L. V.

Figur. telesticis. Figuræ Telesticæ, quæ & Talismanicæ vocantur, sunt certæ imagines, lapidibus, aut metallis aut gemmis insculptæ, sub certo quodam astrorum positu, variis ceremoniis fabricatæ, quibus tum in depellendis variis malis, tum in consequendis bonis, magnam virtutem adscribunt homines superstitiosi. (Ita figuram scorpionis lapidi aut aeri incisam, quando sol in Scorpionis Signo est, contra ictus hujus animalis, qui illam secum ferunt, conservare ajunt. Solis imaginem auro insculptam, ubi sol in Leonis Signum ascendit, magnatum gratiam comparare volunt; & qui sunt alii modi eas præparandi, qui non minus variant, quam superstitio eorum, qui istis rebus

Apollonium referabant auctorem, & pro averruncandis variis malis, Eusebii imprimis tempore, passim circumferebantur, de quibus conf. Euseb. contr. Hier. C. 45. & B. Olearius in Not. ad Philostrat. Vit. Apollon. L. IV. c. 10. p. 147.

§. XVI.

bus delectantur.) Sunt etiam qui existimant, responsa dedisse, & pro oraculis usurpatos fuisse Talismanes nonnullos, quod tamen incertum est. conf. Buddei Hist. Eccl. V. T. T. I. S. III. p. 421. sqq. De Origine harum figurarum diversæ sunt sententiæ; ex quibus tamen eorum stultitia maxime ridenda, qui ad ipsum Salomonem earum inventionem retulere. Si Teraphim Labani Genes XXXI. tales fuere Talismanes, antiquissimum illorum fuisse usum, posset demonstrari. Sed omnia sunt incerta. Herodotus Ægyptios eorum facit inventores. Quantum Chaldæi ipsis tribuerint, exponit Stanl. Hist. Phil. Or. L. I. Sect. II. c. 26. sq. Nec Brachmanum annuli, Stellarum nominibus insigniti, quos Apollonio dedisse supra diximus, aliud quid erant, quam ejusmodi Talismanes. Ab Orientalibus deinde inter alias superstitionis supellectiles. Talismanes etiam ad Occidentales fuere propagati; uti ex Trojanorum Palladio, Romanorum Ancilibus, statua Fortunæ, quam Sejanus habebat, aliisque patet. Nec Lares, sive Dii domestici Romanorum, aliud quid fuisse dicuntur, quam Talismanes. Apollonio vero Tyanensi ejusmodi Talismanes fuisse tributos, mirum non est; ipsum namque non solum magum credebant multi, sed & notum erat, eum cum Chaldæis multum fuisse versatum. Interim ipse Eusebius loc. c. dubitare videtur, Apollonium verum Talismanorum, ipsi tributorum, fuisse autorem; facileque fieri potuit, malitiosos quosdam homines, fama viri fuisse abusos, & ejusmodi figmentis superstitioni aliorum imposuisse. Ceterum de figuris Talismanicis fusius agit, prolixusque est in illis explicandis & commendandis Jacobus Gaffarellus, Gallus, in Libro cui tit. Curiositates Inauditæ, C. VI. in quo omnia corrasit, indigna relatu, quæ ad patrocini-
nium

§. XVI.

Dogmata Philosophica Apollonii quod concernit, in illis Pythagoram ubique secutum esse, jam aliquoties annotavimus, ut adeo de illis peculiariter agere opus non fit, nisi totum Philosophiæ Pythagoricæ systema velimus tradere, quod nostri instituti ratio jam non permittit, conferri interim possunt scriptores supra ad Sect. I. §. V. citati: de Philosophia Practica Apollonii, pec. extare Disser. Christ. Herzogii, Sect. III. §. IX. diximus. Quod si scripta Apollonii, quæ consignasse dicitur plurima, ad nostram usque pervenissent ætatem, plura forte de sententiis hujus Philosophi possent dici, sed ea, præter nonnullas Epistolas, & Apologiam ad Cæsar. Domitianum, interiere omnia. Deperditorum vero hæc sunt nomina: Hymnus

in

nium ipsis præstandum pertinent. conf. Morhøsius in Polyh. Tom. II. L. II. Part. I. C. VIII. §. 7. & L. III. §. 12. add. Budd. Thef. de Ath. & Superst. C. IX. p. 733.

Epistolas. Epistolarum Apollonii magnum fuisse numerum, testatur Philostratus L. I. C. II. qui & ibid. fatetur, se nonnulla ex illis desumpsisse, in conscribenda sua historia; quasdam illarum collegit quoque Imperator Adrianus, in Bibliothecam, quam Antii habebat, reponendas. Phil. L. VIII. c. 20. Quæ hodiernum supersunt Epistolæ Apollonii, primum impressæ extant 1502. 4to. cum Phalaridis & Bruti Epistolis, cura Barthol. Justinopolitani. Recentissime vero illas Philostrati Vitæ Apollonii adjecit B. Olearius, addita versione Latina & notis, & fragmentis epistolarum, quæ apud Stobæum, Porphyrium aliosque inveniuntur, conf. Olear. præfat. cit.

Apologiam ad Cæsarem. Extat illa in vita Apollonii L. VIII. C. 7. *Hymnus in Mnemosynin.* Mentionem hujus hymni facit Philostratus L. I. C. 14. & L. II. C. 30. non vero Simonidis, uti existimat Baile in Dict. art. Apoll. sed ipsius Apollonii hunc fuisse hymnum, totus Philostrati contextus docet. Memoriam vero maxime exercebant Pythagorei, multumque in ea emendanda

&

in Mnemosynin; Dogmata Pythagoræ; Testamentum Apollonii; de Divinatione ex astris; de Sacrificiis; Oracula de rebus futuris, conf. B. Olearius in præfat. Epistolis Apollonii præmissa. Joh. Laur. Moshemius Obs. Sacr. & Hist. Crit. Cap. VII.

& probanda erant foliciti; Scheff. L. cit. p. 121. Apollonium quoque felicissima, in summam usque senectam, gavisum fuisse memoria, testatur, Philostr. l. c.

Dogmata Pythagoræ. Librum hunc Trophonio obtulisse dicitur Apollonius, cum in ipsius descenderet antrum. Philostr. L. VIII. c. 19. postea in Bibliothecam Adriani Antium fuit translatus, ibid. c. 20.

Testamentum Pythagoræ. Mentionem ejus facit Philostratus, L. I. c. 3. Solus hic liber Jonica, sive Græca, dialecto ab Apollonio scriptus est, cum reliquos omnes lingua sibi vernacula, sive Cappadocica, consignasset. Philostr. L. VII. c. 35.

De Divinatione ex astris. Libros IV. de hoc argumento Apollonium scripsisse, refert Philostratus. L. III. c. 41. continebantque summam doctrinæ arcanæ, quam ab Indiæ sapientibus didicerat, id. ibid.

De Sacrificiis. vid. Philostr. ibid. meminit etiam hujus libri Eusebius Demonstr. Evang. L. III. c. 3. sub nomine Theologiæ Apollonii, ubi & fragmentum ex eo nobis servavit, ex quo cognoscere est, Apollonium docuisse, Deum mente potius, vitæque pura, quam multis sacrificiis aut ceremoniis esse colendum.

Oracula de rebus futuris. Meminit hujus operis Suidas, art. ΑΠΟΛΛ. refertque ex Codino B. Olearius: hæc oracula, columnis æneis incisa, Constantinopolis diu servata fuisse, in præfat. ad Epist. Apoll. jam. aliquoties citata.

T A N T V M.

33
LBMV Schwerin
000 314 420






Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1769573879/phys_0036

DFG



§. XVI.

philosophica Apollonii quod concernit, in
ubique secutum esse, jam aliquoties an-
deò de illis peculiariter agere opus non
Philosophiæ Pythagoricæ systema velimus
nostri instituti ratio jam non permittit,
possunt scriptores supra ad Sect. I. s. V.
ophia Practica Apollonii, pec. extare Dis-
zogii, Sect. III. §. IX. diximus. Quod si
i, quæ consignasse dicitur plurima, ad no-
rvenissent ætatem, plura forte de senten-
phi possent dici, sed ea, præter nonnullas
ologiam ad Cæsar. Domitianum, interiere
ditorum vero hæc sunt nomina: Hymnus
in

standum pertinent. conf. Morhofius in Polyh.
Part. I. C. VIII. §. 7. & L. III. §. 12. add. Budd.
& Superst. C. IX. p. 733.

arum Apollonii magnum fuisse numerum, te-
ratus L. I. C. II. qui & ibid. fatetur, se non-
desumisse, in conscribenda sua historia; quas
collegit quoque Imperator Adrianus, in Bibli-
am Antii habebat, reponendas. Phil. L. VIII.
odienum supersunt Epistolæ Apollonii, primum
nt 1502. 4to. cum Phalaridis & Bruti Epistolis,
Justinopolitani. Recentissime vero illas Philo-
ollonii adjecit B. Olearius, addita Versione Lati-
ragmentis epistolarum, quæ apud Stobæum, Por-
sque inveniuntur, conf. Olear. præfat. cit.
rem. - Extat illa in vita Apollonii L. VIII. C. 7.
synn. Mentionem hujus hymni facit Philostr-
L. II. C. 30. non vero Simonidis, uti existimat Bai-
Apoll. sed ipsius Apollonii hunc fuisse hymnum,
ati contextus docet. Memoriam vero ma-
ant Pythagorei, multumque in ea emendanda
&